



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXIII. Ioannes. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

lemnitas fuerit celebrata totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si vero sanctuaria, quae habebat, ablata sint, rursus eorum repositione, & Missarum sollemnitate reverentiam sanctificationis accipiet. ITEM. Ordine quoque precum in celebratione Missarum nullo nos tempore nulla festinitate habere diversum, sed semper eodem tenore oblata DEO munera consecrare. ITEM, si quis non baptizauerit in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, proiiciatur extra Ecclesiam.

LXII.

A. D. LV.

PELAGIVS.

PE L A G I V S, natione Romanus, ex patre Ioanne Vicario, sedit annos 11. menses 10. dies 19. Hic, dum non esset Episcopi, qui eum deberent ordinare, ordinatus est à Ioanne Perusino, & à Bono Furentino, Episcopis, & ab Andrea Ostiensi presbytero. Ab huius autem communione multi ex utroque ordine religiosi viri se subtraxerunt: imponentes ei, quod in morte Vigilii tantis poenitentiis afflitti se immiscuit. Vnde Pelagius accepto libro Euangeliorum, & assumpta cruce, clero & populo in Ecclesia B. Petri congregatis, iuramento de praedicto crimine satisfecit, & omnium Romanorum assertione firmauit, ut nullus clericus precio quolibet aut promissione ad sacros ordines prouekeretur.

*vigilio.

HIC *Virgilio Episcopo direxit epistolam, in qua cum pleniter docet, & prudenter instruit, qualiter respondere & conuincere debeat haereticos illos, qui garriunt patrem & filium unum Deum esse non posse. Hic ordinauit Episcopos 49. presbyteros 26. diaconos 9. Obiit autem 6. nonas Martias.

LXIII.

A. DLIX.

IOANNES. III.

IOANNES, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annos 12. menses 11. dies 26. Hic amauit, & restituit cimiteria Sanctorum Martyrum, & constituit oblationes & luminaria ibidem per singulas Dominicas de Lateranis ministrari. Huius temporibus Narses à Romanis apud Iustinianum & Sophiam Augustam accusatus Longobardos ad occupandam & possidendam Italiam vocauit: qui non multo tempore post Romæ defunctus est. Hic vniuersis Germaniæ & Galliæ Episcopis epistolam decretalem transmisit, in qua euidentissima ratione & firmissima multorum auctoritate com-

te comprobat Choropiscopos Episcopos non esse, nec aliquid de priuilegio Pontificali debere agere, & ad hoc probandum introducit Linum & Cletum, quamuis adiutores Petri fuissent, nullam tamen potestatem Pontificalem habuisse, sed exteriora tantum ministrasse. Et quia sententiam & verba ipsa notauius cum de Clemētis ordine & actione in principio huius opusculi scripsimus, ad cætera quæ instant transire non incongruum esse existimamus. Hic ordinauit Episcopos 59. Presbyteros 28. diaconos 12. Obiit autem 2. Idus Iulii.

LXIV.

BENEDICTVS.

A.D.LXXIII.

BENEDICTVS, natione Romanus, ex patre Bonifacio, sedit annos 4. mēsem 1. dies 28. Scripsit autem iste Dauid Episcopo, & illos, qui dicebant, neminem in veritate posse probare Trinitatē vnitatē fieri, cū neq; tres vnū, neq; vnū in tribus possit à quoquā approbari, iussit, vt ad rectam fidem conuerti facheret, aut ab Ecclesia repelleret. Et multis modis probauit, & auctoritate multorum firmauit, vnitatem substantiæ esse in personarum Trinitate, & personarum trinitatem esse in substantiæ vnitate. Huius temporibus valida fame afflictus est populus Romanus. Hic ordinauit Episcopos 21. presbyteros 15. diaconos 4. Obiit autē 2. Kalend. Augosti.

LXV.

PELAGIVS II.

A.D.LXXVI.

PELAGIVS, natione Romanus, ex patre Vingildo, sedit annos 10. menses 2. dies 10. Hic ordinatus est absq; Principis iussione eo quod Longobardi obsiderent ciuitatem Romanam. Eo tempore tantæ pluviæ fuerunt, vt omnes dicerent, quod aquæ diluuii superinundarent: & talis clades fuit, qualē à seculis nullus fuisse meminit. Hic orientalib. Episcopis vniuersis, quos Ioannes Constantinopolitanus Episcopus præsumptiuè ad Synodum conuocauerat, scribit, & mandat eis, si nolint cum prædicto Ioanne damnari, ^{a epist. i.} consentiendo ei, à superba præsumptione recedant, & pœnitentiā agere studeant, quia necesse est ea cassari, quæ contra ordinem & auctoritatem facta esse noscuntur: Scribebat enim se esse Episcopum vniuersalem, & ex hac sua præsumptione conuocabat Synodum generalem, cum generalem Synodum conuocandi auctori-